


FA 137.095 (1-12)

Les deux volumes à la Librerie
et J. R. Dupont. Le des livres
reçu à l'École Chancelier



Este libro perteneció a la Librería
del Sr. D. Definito. Lo dió la Car-
tesa de Valde Chainto año de 1632.

Les deux volumes de la Bibliothèque
de M. de la Roche-Aymon, la Bibliothèque
de M. de la Roche-Aymon, la Bibliothèque

R. M. IN CHRISTO
PATRI NOSTRO, D. N. R.

Magistro Priori Magistri Carola, et eius
Ordinis Generali, de quibusdam et non Pa-
ribus Libantibus, et aliorum, et
immemitus Prior Carola de
Paclar, hominem obediens.

LEXOYA quibus de...
...ad haec...
...ante...
...proposita...
...reponere...
...la responsam...
...da a...
...to...
...postulas...
...tur...
...inducunt...


IACOBI FERRV-
s
sii Valentini Doct̄oris theo-
logi oratio in festo assum-
ptionis sacrae Dei genitricis
Mariæ ad patres habita in
Concilio Tridentino.



VENETIIS
EX OFFICINA ERASMIANA,
M D L I.

17509944

IACOBI FERRV-
in Valentini Doctoris theo-
logi oratio in festo assum-
ptionis sacre Dei genitricis
Mariæ ad patres habita in
Concilio Tridentino.



VENETIS
EX OFFICINA ERASMIANA,
M D L.



L T SI uereri maxime poteram, Illustriff. ac Reuerendiff. Legate, grauiffimi præfides, oratores Illuftres, patres ampliffimi, uosq; uiri uniuersî eruditiffimi, ne & loci maiestas, & autoritatis uestræ eximia celsitudo dicere incipientem terrent, & rem tantam in clariffimo cœtu aggressum ab incepto deiicerent, grata tamen mihi ac per iucunda humanitatis uestræ recordatio, qui studiosis hoc loco dicentibus magna animorum propensione fauere, & eorû præclaros conatus uestra autoritate prouehere soliti estis, mihi ad suscepti huius muneris rationem uires addidit, quibus neq; rerum magnitudini cederem, neq; augustiffimo hoc uestro conspectu omnino perterritus locû detrectarem. nam cum uestra omnium, in rem omnem bene institutam propensa uoluntas ad res præclare gerendas iacentes etiam animos erigere soleat, tum uero me illud hodie maxime confirmauit, quod de uirginis dei paræ laudibus sim apud uos dicturus, quæ propitia nostris uotis adesse non dignabitur, ad cuius insignem, & claram commemorationem uos omnes tanta alacritate in hunc locum conuenisse uideo. quæ forti & inuictò animo aduersus antiquum illum & inferiffimum humanæ salutis hostem suscepto causæ nostræ patrocínio eiusmodi inimicitias exercuit, quas ampliffima, ac perpetua pax, contrito illius capite sequuta sit, ut edito in orbem filio, ac proinde per ipsum superata dæmonum potestate salutem mundo attulerit, nosq; suis præfidiis continuo defensos materno sinu perinde ac filios fouerit, ut quâ tum nos eius præstantia, ac maiestas deterrere poterat, tantum clementia exerit, ac spem etiam nostram cõfirmarit. quæ hodie detractis hosti spoliis ornatiffima ad cœlos, unde fuerat ille deiectus, gloriosiffimo triumpho assumpta, & angelorum omnium sedes supergressa, adstat regina à dextris unigeniti filii in uestitu deaurato, in ea honorû uarietate, quæ dei matrem, & cœlorum reginam decet. quæ maximo hoc beneficio nos

Gen. 3.

omnes sibi deuincit, quod propugnationi nostræ semper intenta in eo gloriæ suæ amplitudinem collocat, ut miserorum hominum necessitatibus patrocinetur, atque eorum salutem admirabili benignitate iuuet. Cuius laudes, quæ innumera sunt, atque eximiæ, quo minus ob nostram imbecillitatem assequi possumus, eò magis à nobis oranda fuerit, ut quæ hodie immarcescibilem gloriæ coronam super omnes angelos consecuta est, suo nobis fauore adesse, & meam hanc dicendi inopiam ad insignes illos triumphos, quibus honorificentissime in cælis ornata est, aliqua saltem ex parte hoc loco referendos subleuare, pro dignitatis suæ magnitudine dignetur, quod ut facilius impetremus, officii nostri non immemores, angelicam illi de more salutationem fixis humi genibus pie omnes offeramus. Aue Maria gratia plena &c.

Quum multis magnisque rationibus, sapientissimi ac grauissimi patres, diem hunc sacrum faustum nobis ac felicem ecclesia intelligeret, omne studium in eam rem collocauit, ut obseruantia erga uirginem matrem, & debitis obsequiis defuisse se minime uideretur. rem itaque sacram magnis laudum præconiis hodie celebrat, atque ut nunc cætera omittamus, eam nobis proponit euangelii lectionem, quæ illius dignitati explicandæ omnibus idonea merito uideri debeat. quoniam uero sacrorum euangeliorum historia ad illud usque tempus duntaxat conscripta est, quo Christus in cælum ascendit, & apostoli ad euangelium ubique prædicandum domino cooperante profecti sunt, neque obitum uirginis matris, qui aliquot post annis sequutus est; neque eius in cælum assumptionem complectitur, ut illud nemo iure reprehendere possit, ecclesiâ alio non usam esse euangelio, in quo huius festi peculiaris & expressa mentio haberetur. sed illud nobis hodie concinit, in quo Marthæ & Mariæ sororis exemplo duas nobis uitæ rationes declaret, quas nobis Christus uias ad summam illam & æternam felicitatem propositas esse uoluit, ut in ea quam sibi quisque constituerit, pietatem & iustitiam colere, atque ad deo ad ipsam beatitudinem cum uirgine matre assumi etiam possit. alii enim ad actiones ultro sese accommodant, & ea gerenda, quæ hominum utilitati necessaria esse intelligunt, & ut ro-

nicantes hospitalitatem sectantur, pauperes alunt, reficiunt imbecilles, & non solum corporis sed & animi multo etiam maiorem rationem habentes, imperitos instituunt, delinquētes monent, adhortantur, corripiunt, & ea præstant ueræ pietatis opera, quibus amplissima præmia parata ac proposita Christus pollicetur. alii uero alterius sororis hoc est Mariæ exemplum sequuti terrena abdicantes à sensibus sese magis abducunt, & curis omnibus uacui rerum diuinarum contemplatione magis delectantur, parentum, amicorum, opum, ac rerum humanarum omnium oblitici solum deum cogitant, solum illum suspirant, solum magno animi affectu & uotis continentibus exposcunt, ad Christi pedes assident, & illius uerbo diligenter intenti solidiore illo cibo animum ad æternitatem alunt, dum salutaris doctrinæ ex limpidissimo illo sapientiae fonte riuos hauriunt uberrimos, ac illud subinde repetunt, pars mea dominus, dixit anima mea. atque illa etiam ex Dauide, oculi mei semper ad dominum. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. hoc uitæ institutum ingressa atque adeo feliciter etiam persequuta Maria Marthæ soror, sedebat secus pedes domini, & illius uerbum diligenter audiebat. Altera uero sollicita & ministerio intenta, dum multis distrahitur, docetur à Christo unum esse necessarium, ut illud uitæ genus, quod ad illud unum magis accedit, præstantius atque sublimius esse intelligat, id autem est, quod in contemplatione positum pura ac sincera diuinarum rerum consideratione seclusa humanarum rerum sollicitudine in deum ipsum maxime unum ac simplicissimū ducit. est enim deus unum illud necessarium per se expetendum, in quem ut in ultimum finem omnia uirtutum studia, pietatis opera, ac præstantissima illa rerum cœlestium contemplatio referri debent. Cui uni adherere bonum esse, ac in eo spem suam omnem collocare dicebat Dauid, et unam hanc rem se à domino petiisse, atq; hanc ipsam requisiturum se, ut inhabitaret in domo domini omnibus diebus uitæ suæ. ut facile sit hoc loco illorum errorem deprehendere, qui dum audiunt unum esse necessarium, fere omnia ad salutem necessaria è medio tollere non dubitarunt, dum uel solam fidem, uel ociosam omnino, & inanem quandam uerbi auscultationem ad salutem

Thre.

30
Pf. 24
Pf. 83Pf. 72
Pf. 26

neceſ

necessariam tantum esse interpretantur. quæ quid quæso pro-
 derunt sine obseruatione mandatorum DEI, & nisi operi-
 bus præstes quæ audis? an salutares Dei leges contemnendas
 esse putas, quarum obseruationem ad salutem & iustificatio-
 nem nihil nobis conferre posse arbitraris? sed finem nobis
 proponit CHRISTVS unum quidem illum ac necessarium,
 qui solus per se sit à nobis expetendus, & in quem unum bo-
 na omnia relata esse oportet. ut hinc intelligamus, eo præstan-
 tiorum uitæ rationem quosdam elegisse, quo minus distrahi
 curis, eo liberius ac syncerius unum illud contemplantur, &
 ad illius rationem atque imaginem quo ad fieri potest, sese
 magis accommodant. Cæterum hodierno die, patres, hæ
 duæ nobis sorores in hunc maxime finem propositæ sunt, ut
 quorum animi aciem non poterat non præstringere splen-
 dor Mariæ Dei genitricis, & mentis quasi luminibus office-
 re altitudo gloriæ, ex ancillis saltem dominam, ex pedisequis
 præcipuam mundi reginam utcunque deprehenderemus.
 duo enim illa bene uiuendi instituta si in uirgine matre ex-
 pendere nobis libuerit, tanto conspicientur præstantiora, quã
 to illæ præclarissimæ hac uirgine inferiores extiterunt. in qua
 (ut de uita) obitu, & glorificatione eius breuissimè pauca di-
 cantur, cum excelluerit contemplandi studium, atque in ea al-
 tissimum etiam gradum attigerit, nobis certe non profuit so-
 lum, sed percussis atque prostratis salutem attulit sancta il-
 la & solers diligentia ministerii, quæ tam insigniter salutata
 ab angelo, ancillam se Domini professa, parata atque accin-
 cta ministerio unigenitum Dei filium splendorem gloriæ, &
 figuram substantiæ eius in uirgineum uterum tam magnifi-
 ce ac liberaliter excepit, ut uirgineam carnem ex mundissi-
 mo illo sanguine, unde sanctissimum Dei & hominis corpus
 formaretur, munificentissime subministrauerit, atque inde
 tanquam sponsus processerit è thalamo suo exultans, ille gi-
 gas ad currendam uiam paterni mandati, cuius à summo cœ-
 lo egressio fuerat. unde ad nos salute deriuata, graui illa serui-
 tute liberati adoptionem filiorum recepimus, ut non iam
 serui, sed filii, ac proinde hæredes regni per Deum simus.
 Cuius beneficii quis unquam nostrum immemor esse pote-
 rit, quod eius sumus assequuti ministerio, quæ Christum no-
 bis edidit,

Lu. 1.

ad heb.

1.

Ps. 18.

ad Gal.

4.

bis edidit,

bis edidit, lactauit, ac materno etiam affectu solertissime educauit, quem nobis exhibuit omnibus seculis expectatum seruatorem totius mundi. ut eam merito ad omnem memoriam magnis præclarisq; monumentis commendatam celebremus non insignem tantum uirginem, sed præstati etiam atque egregia prole fœcundam, cuius fœcunditas plusquam niueo candore integritatis eius conspicua non minus nobis salubris fuit quàm admirabilis. quæ multo quàm antiqua illa & aurea urna felicior non umbraticum, sed uerum nobis manna conseruauit. & uelut plantatio rosæ in hierico, quam non superbix scopuli, sed modestiæ & humilitatis planicies protulit, florem illum campi enixa est omnium pulcherrimum, cuius suauissimo odore semper afflata, quanuis de terra progenita terrenæ tamen fœcis nihil inde contraxit. Summam plane rem atque excelsam, cuius magnitudinem admirari potius quàm assequi possumus, quod olim deus Mossi abûde explicatum esse uoluit, qui quum rubum uidisset multis quidem flammis ardere, & quod miraculo omnibus esse poterat, nulla parte aduri, atque ad id spectaculum diligentius contuendum propius accessisset, prohibitus à Domino substitit, iussus soluere calceamenta de pedibus, quod locus ille sanctus esset: nimirum res tantâ de qua nunc agimus, hoc est admiranda illa fœcunditas, quæ incarnati uerbi mysteria sensimus, cum integerrima uirginitate coniuncta, quæ rubo ardenti nec combulto portendebatur, dignitatis plena ac maiestatis, quam non capiunt angustix pectoris nostri, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, nos potius ad sui admirationem mouere debet, & ad cultum excitare, quam ut ad eam penetrandam audaciores accedere debeamus, sed sobrie ac nudis pedibus tractanda res fuerit, ne oppressi à gloria admirabiles illos sui amores, quos excitare solet, in nobis temere extinguamus. Susplicere autem, & multis etiam laudibus prosequi cum cætera ad hanc rem spectantia, tum illud etiam maxime debemus, quod Aaroni ueterum sacerdotum præfecto postea accidit, ut hoc etiam mysterii ipsi indulgeretur, dum uirga illa insignis nullo humectata aquarum fluxu ita germinauit, ut è turgentibus gemmis flores eruperint, ac dilatatis foliis fructus etiam omnibus placidissimus prodierit.

Exo. 3.

Nu. 17

rit. quid autem commemorem uellus illud Gedeonicum Cœlesti conspersum rore in tanta terræ ariditate, quod quid aliud præsignabat, quàm te uirginem Cœlesti afflatu gravidâ, in quam superueniens spiritus sanctus rem omnibus seculis admirabilem operaretur? quod ipsum Hieremias ut nos rei nouitate alliceret, ac delectaret, in hunc modum expressit, nouum creauit dominus super terram fœmina circundabit uirum. Sed omnium apertissime Esaias, qui ut Mosaicum rubû, & flores illos Aaroniticis, & quod alio ipse loco dixit, ascendens uirgultum, & radicem de terra sitiienti nobis exponeret, multa paucis complectens, ecce, inquit, uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel, quod est nobiscum deus, hoc est deus homo, uerbum haud dubie caro factum quod nostræ naturæ particeps nobiscum una uersaretur. quod, ut rei magnitudinem admirati non quidem uulgare & commune aliquid sed præstans atque eximium deprehenderemus, signum à domino datum fuisse, Idem ipse propheta est abunde testatus, ne locus ullus Iudæorum uesaniæ, quos praua huius rei intelligentia transuersos agit, relictus esse posse intelligatur, quæ omnia promissa & à ueteribus prænunciata patribus angelus è cœlo missus nunciâdo exhibuit, concipies in utero, inquit, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur, & dabit illi dominus deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Idem ni mirum ille, qui ex illæsa uirgine natus illæsam semper seruauit, ut illæsa uirgo esset & mater. at cuius mater? eius de quo angelus tam egregie professus est, quod nascetur ex te sanctû uocabitur filius dei. Ut hinc uere te græci Θεοτόκον, nos uero dei genitricem appellemus, quod in eos, qui in errorem impulsî ab hac fide auersi fuerant, sanctissimis frequētissimis que patrum Conciliis Ephesino & Constantinopolitano Cōcilio generali quinto sancitum ac declaratum fuit. Quoniam uero contemplandi studium præclaras, atque excellentes uitæ actiones non exornat modo, sed alit atque sustentat, æternitatis ac diuinarum rerum meditatione sic omnia uitæ exercitia permiscuit, ut splendorem rerum gestarum cum altitudine contemplationis, & hanc cum rebus gestis amplissime fuerit complexa

Iud. 6.

Hier. 31

Esa. 53

Esa. 7.

Luc. 1.

complexa. CHRISTVM itaque dum pareret, lactaret, educaret, an non mens illa cœlestium rerum amore ardens diuinitatis numen contemplata cum humanis diuina, cum his quæ uidebantur, inuisibilia conferebat, quæ CHRISTVM in humana natura corporeis oculis dum uideret, atque diuinam intelligendi, ui, ac fide assequeretur, in utraq; sit illum admirata & obsequiis prosequuta? quam ipsam præstantem diuinarum rerum cum humanis collationem Diuus Lucas elegantissime nobis exposuit, Maria inquit, conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo. quæ angeli legationem, CHRISTI ortum, concursum pastorum, magorum obsequia, Simeonis & Annæ uaticinia, ac uetera etiam prophetarum oracula sedulo repetens, in singulis maiestatem diuini uerbi immortalem ac perpetuam naturam suspiciebat, ac uenerabatur. ut tandem inter ipsos etiam acerbos filii sui cruciatus, quum in cruce pro communi omnium salute penderet, ac pateretur, sola diuini consilii ac immutabilis decreti DEI cogitatio ipsam recrearit. donec peracto magna ex parte uitæ suæ decursu, sublato iam in cœlum CHRISTO, ne aliquando mens illa diuinorum contemplatione uacua esset, Hierosolymis in insigni illo cœnaculo deprecationi & obsecrationibus intenta unâ cum Apostolis reperitur. erant (inquit D. Lucas) omnes perseverantes unanimiter in oratione, & obsecratione cū mulieribus, & Maria matre IESV. hæc magna quū sint, præclaris semper DEVS beneficiis ornare solet, qui in sanctis suis omnibus gloriosus, ut in matre tamen præcipue diuitias gloriæ suæ declararet, eximiis uirtutibus insignem amplissimis hodie triumphis, & clarissimo gloriæ ornamento decorauit. Cui quum ingens ille thesaurus esset in cœlo reconditus; ad illum diuinitus uocata è uuis felicissime excessit, ea nimirum morte, quæ uitæ honestissime sanctissimeq; actæ consentanea fuerit. & quod nobis de DEI matre pie credere liceat, reassumpto incorrupto corpore ad uitam reuocata, ut non solum anima, sed & corpore gloria donaretur, tot hodie laudibus, tantaq; beatorum omnium gratulatione in cœlum assumpta est, ut uere noua quædam lux cœlo ipsi illuxerit, cuius splendore cœlestis patria illustrata sit, & sancti, nouos ac gratos noui gaudii fru-

LII. 2.

Act. 1.

Etus perceperint . quid enim potuit sublimius excogitari , &
 unde maior ad illos lætitiæ causa accederet , quàm eam cœlis
 præsentem uidisse , cuius in terris præsentia ipsis etiam ange-
 lis quàm gratissima fuerit : cuius colloquio usus in terris Ga-
 briel hoc ipso nomine celeberrimus laudatissimusq̃ sit ha-
 bitus ? qui omnes in officio fuerunt , & ascendenti de deser-
 to maiestatem admirati , quæ tam insolitis deliciis afflueret ,
 & dilecti sui innixa potentiæ uirtutem ac præstantiam digni-
 tatis ostenderet , suis qui que laudum titulis cœlestia regna
 petentem efferentes , illi celsitudinem gloriæ , & sibi recens
 felicitatis genus gratulabantur . quod si nostrū aliquis co-
 gitatione repetat , quāto totius populi applausu , quàm splē-
 didis choris , quàm ornatis , quàm uario musicæ instrumen-
 torum genere testamenti arcam in ciuitatem suam uoluerit
 Dauid introductam esse , is plane intelliget , non defuisse uir-
 gini magnificos angelorum choros , non splendidam sancto-
 rum cohortem , non centum illa quadraginta millia tenen-
 tium citharas in conspectu throni & seniorum , & ante sedem
 & seniores cantantium canticum nouum . quæ non arca illa
 testamenti , sed sacrarium fuit æterni numinis , non legis mo-
 saicæ tabulas reconditas & seruatas habuit , sed euangelicæ le-
 gis , & salutis omnium autorem magnificētissime ex se pro-
 tulit , quæ non in terrenam hanc Hierusalem à Dauide , sed in
 cœlestem illam omnibus bonis affluentem à CHRISTO ,
 qui matrem unice colebat , inducebatur . Quid uero referam
 igneos Heliæ currus , equos igneos , & turbinem igne arden-
 tem , qui quum totus zelo diuini cultus exarsisset , hoc nouo
 genere spectaculi in cœlum sublatus est ? Cuius tam feruebat
 religionis amor , ut illud aliquando dicere sit ausus (sic enim
 de eo Diuus Hieronymus loquitur) se solum inter prophetas
 DEI relictum fuisse . quos ego ignes cum feruenti charitatis
 ardore , quo æternas hodie regiones dei para uirgo petiit , con-
 ferendos esse non censeo . quæ diuino amore flagrans ascen-
 dit uelut uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris &
 uniuersi pulueris pigmentarii , spiritus sancti igne accensa ,
 ut uere quasi myrrha electa dederit suauitatem odoris , & o-
 dor uestimentorum eius sicut odor thuris omnibus suauissi-
 me spirauerit , & quod Helias de se asserbat inter prophetas
 DEI ,

DEI, sola ipsa relicta sit inter obseruatrices diuini cultus fœ-
 minas, quæ diuinis beneficiis omnes facile superaret. quæ
 pro lucidissimo illo lucifero, qui mane oriebatur, affectata *Esa. 14*
 tamen tyrannide infelicissime de cœlo cecidit, noua hodie
 oritur cœlis aurora, quæ discussis iam ab initio omnibus pec-
 cati tenebris, & cœlesti nunc gloria splendens ac rutilans ad
 intuendam clarissimam pulcherrimamq̃ summi boni lucem
 nos ducit. quæ non superbo & elato animo super cœli syde-
 ra exaltat solium suũ, non montem testamenti, & latera aq̃ui-
 lonis ambit, non similitudinem DEI tyrannice affectat, sed
 miti ac humili animo, omnibusq̃ uirtutum numeris abso-
 lutissima solium nacta est omnibus cœli syderibus excelsus,
 ad uerticem cœlestis montis Sion, & in ea DEI similitudi-
 ne, quam eius genitricem assequutam fuisse decuit. ubi re- *Psal.*
 pletur in bonis desiderium tuum, ubi magna est gloria tua *102.*
 in salutari tuo, ubi gloria & honore coronata satiaris uberta- *Pf. 20.*
 te magnificentissima domus istius, è quo bonorum omnium *Pf. 8.*
 torrente nos omnes abunde potare possis, concupiscit enim, *Pf. 35.*
 & deficit anima nostra in atria Domini, & melior est dies u- *Pf. 83*
 na in atriis istis super millia. ubi tota te cœli procerum multi-
 tudo multo supra se eleuatam uenerabunda suspicit, colit, ob-
 seruat, teq̃ augustam cœli ac terræ reginam profitetur. tu in
 cœlesti ista ecclesia triumphis ornata, militantis huius eccle-
 siæ suscepto patrocínio ipsius causam agis, hæc enim est, pa-
 tres, cuius beneficio nostræ huic ecclesiæ multa subinde ac ua-
 ria bona obueniunt, quam non destituit protectione, sed fo-
 uet, tuetur, amplectitur, ut in afflictis ecclesiæ rebus solatium
 magnum in eius præsidio positum esse experiamur. Illo enim
 ascendit fructus terræ sublimis, quod Diuus Bernardus pie &
 grauitè dixit, unde ad nos data optima, & dona perfecta de-
 scendunt. qua cœlestium bonorum communicatione eccle-
 sia nostra uim suam omnem, & auctoritatem conseruatam re-
 tinet, tanta est eius cum superiori illa connexio, ut duabus
 inter se apte cohærentibus ac colligatis, felici quodam fœde-
 re humana diuinis, terrena cœlestibus, ima summis copulen-
 tur. hæc enim militans ad illius cœlestis exemplar expressa
 in illa uim suam fundatam atque optime constitutam habet,
 hæc illi subest, ab illa pendet, illius similitudinem gerit, & ut

ad illam felicissime aspirat, ita ab eadem illa assidua moderatione gubernatur & regitur. Adeo ut illud mirum quibusdam maxime uideri aliquando soleat (ut ad hoc tandem nostra etiam descendat oratio) quò fieri possit, ut in tanta utriusque ecclesiæ consensione tot quotidie lites, tot hominum dissidia in hac nostra ecclesia oboriantur, quibus eam tam acriter premi, ac diuexari uidemus. Cui quum diuinum præsidium nec defuerit unquam, nec hoc tempore, aut in posterum futurum sit, multa tamen eius difficillima tempora extiterint, quibus uariis agitata & concussa tumultibus uix ullam pacis, aut otii spem habuisse uideretur. ne quid de nostro hoc tempore dicam, quo multi liberioris uitæ appetentes, excusso fere suis ceruicibus suauis ac miti Iugo CHRISTI, uix ulla lege, nisi quam ipsis suo sensu interpretari liceat, & ad suos affectus torquere, contineri uolunt. quid an non Deus potenter ecclesiam suam tuetur? an non ingens est & infinita diuini præsidii uis? est quidem, patres, est inquam, ac proinde firma & constans mansit semper ecclesia. quod uero eius pace perturbata angustior aliquando, & breuioribus solito terminis contracta fuerit, tantum abest, ut ob id diuini præsidii uiribus nostra existimatione quidpiam detractum esse debeat, ut tunc maxime immensa DEI potentia eluceat, quum in medijs persecutionum tumultibus, rebellantibus multis & omnibus suis machinis in ecclesiam contendentibus, seruatam eius auctoritatem, & nihilo imminutam uidemus. communis autem creptæ pacis culpam utinam in ipsos tantum seditionis autores reiciendam esse existimare possemus, sed illud maxime uereor, quod uestris tamen sententijs patres discerni potius quam mea uelim, ne fortasse aliqua etiam ex parte eius rei causa illis imputari possit, quos oportuerat in ecclesia pastores esse uigiles, qui uniuerso gregi diligenter attendentes, aduersus hominum scelera proposito ad uirtutem clarissimo exemplo constanter dimicarent. quos neque principum fauor, neque propriæ utilitatis appetitus, neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque periculum, neque gladius à charitate CHRISTI separarent. qui solam in functionibus suis obeundis & tractandis CHRISTI & ecclesiæ rationem haberent. plurimum enim refert, qua-

les *ij* sint, & quanta animi magnitudine ecclesiæ dignitatem defendendam suscipiant, qui primum in ea locum obtinuerunt. ut enim uitiolorum contagia facile serpunt ad plurimos à primariis uiris profecta, ita uirtutis exemplum non solum ab omnibus commendatur, sed illis etiam maxime prodest, si à claris autoribus fuerit exortum. quod quū semper necessarium sit, in hac tamen tanta temporum difficultate tantum habet momenti ad sedandas rerum discordias, ut hac una in re spes omnis collocata sit pacis & quietis, si in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute *DEI*, per arma iustitiæ hominum improbitati resisteritis, fidemq; uestram & integritatem omnibus probari sedulo curaueritis. hæc enim præcipua est ratio tuendæ religionis, quam apud eos neglectam & prostratam uidemus, qui sublata morum æquitate arbitrio suo & uoluntati fræna laxarunt. oppressa uero religione quid quæso integrum manere poterit? Iudicent *ij*, apud quos simul atque obtinuit religionis neglectus, iacuit statim contempta legum seueritas, mos maiorum sublatus, fides *DEO* data & obstricta uiolata est, uixit unusquisque suo sensu atque arbitrio, ut nulla pietas, nullus metus, nullus pudor tenuerit homines. direptæ ecclesiæ, excisa monasteria, rapta bona, ut nihil fuerit in tanta promiscuæ plebis atrocitate, quod metuendum esse uideretur, quod cursum tantæ audaciæ retardare posset. Ingentem sane calamitatem, quam quoties in mentem reuoco, magnæ alicuius ruinæ metus sese in animum ingerit, ne tot malis offensus *DEVS* atrocissimas aliquando corruptæ religionis pœnas exigat. quis enim non censeat illa reiicienda non fuisse, sed ferenda potius libenter, quæ non dico tulerunt tot proceres, tot heroes, tot lumina religionis, sed introduxerunt in ecclesiam, & cœlesti sapientia, diuinâq; autoritate ad salutem omnium constituerunt? at quinam uiri? doctrina excellentes, sapientia clari, pietate conspicui, sanctitate uerendi. quorum aliqui non dubitarunt pro euangelii ueritate, pro *CHRISTI* nomine, & ecclesiæ dignitate sanguinem suum profundere. horum pietatem, doctrinam, autoritatem ad reuocandos in ecclesiam illorum animos, quos *CHRISTVS* una nobiscum redemit, plurimum posse debere, quis non uidet? Ut unum


2. Co. 6

omnes caput in uno corpore non distracto illo quidem & diuiso, sed arctissimo uinculo charitatis cōiuncto agnoscamus: uestrum autem erit, patres, quos ad ecclesiæ autoritatem propugnandam spiritus DEI in hunc locum collegit, illius dignitatem diligenter ac sedulo cogitare, qui aliorum duces & antesignani, quò ualidiori tempestate iactatur, ac quò minus ingentibus copiis atque præsiidiis oppugnari desinit, hoc maiori studio & diligentia suscepti à uobis muneris meminisse debetis. ut ea sit ratio & magnitudo animorum uestrorum, ut nullum uos incommodum a uera laude abstrahat, sed in excellenti ecclesiæ dignitate omnia ad gloriam, splendoremq̃ reuocetis. Vt nulla neque in periculis fortitudo, neque in agendo industria, nullum in prouidendo consilium, aut ulla in conficiendo celeritas à uobis prætermissa fuisse uideatur. Hæc enim fuerunt semper clarissimorum hominum consilia & facta, hæc de eorum uirtute audiuimus, hæc accepimus, hæc legimus. neque eos in laude positos esse uidemus, quorum insignes conatus in medio cursu sunt fracti, & leuiter inconstantia uitio à rebus optime inchoatis resiliuerunt. sed qui autoritate, fide, constantia, magnitudine animi in rebus ecclesiæ promouendis perstiterunt, hi graues, hi præstantes, hi duces, hi ecclesiæ principes semper sunt habiti. quibus animi uirtutibus ut quisque uestrum instructissimus est, ita enittendum ei maxime fuerit, ut ad excellentem earum laudem prouehatur. posita est enim in spe atque expectatione huius concilii ecclesia, in quo tam afflictis rebus opem, tam oppressis subsidiū aliquod inueniat. ad quod ipsum uos maxime adhortatur Iulius pontifex maximus, cuius, nulla tanta res fuerit, quæ non regi consilio, uirtute confici, & autoritate conseruari possit. Idem contendit summo studio Carolus Cæsar imperator augustissimus, cuius eximiam ac diuinam animi magnitudinem in componendis dissidiis, in concilianda pace, & ecclesiæ dignitate defendenda, omnes abunde cognouistis. quod quum humanis uiribus non dico confici, sed ne cogitatione quidem concipi possit, summum Dei optimi maximi præsidium communibus omnium uotis imploremus, quod inexhaustæ ipsius clemētia fisci speremus nos facile consequuturos esse, beatissima præsertim uirgine auxiliatrice


IN CONCILIO TRIDENTINO.

auxiliatrice nostra suis nobis precibus suffragante, quæ ut so-
let exorabilem se nobis maxime præbere, in conseruanda cer-
te religione minus sua nos ope est desertura. quo fiet, ut & dif-
sidia fedari facile possint, & constabilita una atque eadem
communium consiliorum & uoluntatum societate, commu-
ni totius ecclesiæ tranquillitati diligentissime consulatur.

in totius ecclesie tranquillitate diligenter considerari
comparantur consilioque & sollicitudine locorum, contra
sibus sedari facile possunt, & consiliaque sua sicut eadem
re religionem minus sua nos opere claudere, quo per se & in
per exortationem & nobis maxime prebere in conspectu
sunt illi, de nobis suis nobis prebere in conspectu
in







Conciones
habiteq
in
Majori Cart